





1576

32



Disputatio Juridica
De

IURE DOTIUM,

DEO DUCE ET AUSPICE
SUB PRÆSIDIO

VVOLFGANGI HIRSCH-
BACHII, J. U. D. & Professo-
ris ordinarij.

Ventilationis subjecta publica

VOLCMARO SCRIBONIO
Eccartimont. Thur.

Habebitur ad diem 17. August. in auditorio ICtorum.

WITTEBERGÆ,
Ex officina Typographica Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. X.





V I R I S

Nobilissimis, Magnificis, Re-
verendis, Claris. & Consultis.

Dn. PRÆSIDI

&

Dnn. ASSESSORIBUS

Supremi Synedrij Ecclesiastici Sereniss.
Elect. Saxon. &c.

*Dominis & Mæcenatibus suis omni obser-
vantia colendis.*

Hanc de dote συζητησιον in signum debitæ grati-
tudinis submissè

O. D. C.

Volcmarus Scribonius,

Elect. Alum.



DE IURE DOTIUM.

THESIS I.

DE dote placidam disquisitionem nobis suscepturis ante omnia vocabulum distingendum, ne ejus ambiguitate decepti à veritatis tramite deflectamus.

II. Significat autem modò rem ipsam, qua maritus utitur fruitor, ob matrimonij onus: modò jus utendi fruendi in illa re hærens, & marito concessum, quod aliàs *dos vera* dicitur, modò illegitimam juris re dotali utendi fruendi usurpationem denotat, & vulgò *dos putativa* appellatur. Nos mediam significationem hîc principaliter retinebimus.

III. Atq; sic intellecta dos est jus in re, vel ab ipsa muliere, vel ab ejus parentibus virilis sexus, vel ab extraneis marito constitutum ad sustinenda matrimonij onera.

IV. Unde quæ causæ efficientes dotis non obscurè intelligitur: nimirum ipsa mulier, si sui juris est; vel pater ejus, alijq; parentes virilis sexus; vel quivis extraneus: quo vocabulo etiam matrem, & reliquos, præter istos, quos diximus, consanguineos complectimur; à quibus constituta dos adventitia, à parentibus verò virilis sexus profectitia appellari suevit.

V. Quod si pater filiam dotare recuset, potest officio magistratus cogi. Idem de avo paterno dicendum; nisi filia sit spuria, hæretica, aut turpiter vivat. Adde, si invito patre ante 25. ætatis annum nubat, præsertim indigno. De naturali idem dicemus. Sed & si pater ære alieno sit obrutus non tenebitur.

VI. Extranei non ita facile cogi possunt. Quidam enim planè sunt extranei, h. e. nullo sanguinis jure conjuncti, & hi, nisi promiserint dotem, omninò sunt immunes: quidam verò sunt sanguinis necessitudine juncti, & hi certis casibus tenentur.

A 2. d. l. 7. Nam

VII. Nam si pater summâ labore inopiâ; mater verò sit dives, filia dotem constituet. Idem de avo materno, aviaq; dicendum: etiam de fratre germano, vel saltem consanguineo.

VIII. Tutores quoque & Curatores de bonis puellæ nubentis dotem constituere possunt: qui tamen, si maritus non rem; sed pecuniam in dotem sibi dari velit, ad distractionem rerum sine decreto non pervenient.

IX. Videamus, quæ res in dotem dari possint. Et possunt omnes, sive mobiles, sive res soli; æstimatæ & inæstimatæ; jura incorporalia; etiâ feudû, si natura ejus id permittat; bona omnia, sive pars eorum; eaq; vel certa, vel in arbitrium boni viri collata.

X. Constituitur dos vel ultima voluntate, putâ testamento, codicillis; vel inter vivos, consensu nimirum; eoq; vel solo, ut in pacto legitimo, in stipulatione; vel cum facto traditionis conjuncto; quo casu dos dicitur numerata, data, tradita: illo verò promissa; & vel simpliciter, vel sub cautione instrumenti dotalis, & dicitur dos cauta.

XI. Effectus alius est doris promissæ, alius traditæ. Si promissa est, oritur actio ex stipulatu bonæ fidei, cui annexum est jus tacitæ hypothecæ. Potest enim maritus dotem ab eo, qui promissit, exigere; & habet eundem obligatum, ejusq; bona nomine evictionis, si fortè res in dotem datæ evincantur.

XII. Hic quaeritur: si dos promissa sit, an ob non numeratam uxor domo expelli possit? quod negamus: cum dos ad matrimonij substantiam non pertineat; quippe quod absque illa consistere possit: quamvis dos sine matrimonio nequaquam.

XIII. Dote traditâ, si est æstimata, maritus plenum ejus consequitur dominium: si est inæstimata, domina rei dotalis est mulier: juris verò in re dominus est maritus.

XIV. Hinc nihil ex ista re dotali (nisi sit mobilis, quæ servando servari nequeat) ab alienare, vel ulla ratione imminuere potest maritus; neque obligare; licet consentiat mulier.

XV. Quid si ab alienationem istam mulier juramento confirmaverit? Nihilominus in validam censemus: licet juramentum servandum esse non negemus.

XVI. Aliud est in bonis mulieris paraphernalibus, quæ maritus

tus

rus consentiente uxore abalienare potest; etiam jure Sax: Quo casu, si appareat istam abalienationem in utilitatem mariti fieri, adjungendus est mulieri curator, cum ipse in propria causa autor esse non possit.

XVII. Est & alius effectus dotis traditæ, videlicet actio ex stipulatu cum tacita hypotheca, & jus *πρωτοπαζίας*. Quâ de re mox distinctis agemus.

XVIII. Doti respondet donatio propter nuptias, quæ fit uxori potissimum in securitatem dotis, & quemadmodum dos, ante & post matrimonium contractum constitui & augeri potest.

XIX. Ejus species quædam est *dotalitium*, h. e. pars bonorum mariti assignata ex consuetudine, vel conventionem mulieri, ut pro dote eam habeat obligatam, & post mortem lucretur aut proprietatem eorundem, aut usumfructum.

XX. Ratio dotalitij Saxonici usitatissima hæc est; ut ad quantitatem dotis uxori nobili, si superstes maneat viro, constituantur ex feudo certi redditus usuras dotis legitimas & quincunces quolibet anno non æquantes solum; sed vel maximè etiam superantes. Nam pro 50. aureis illatis 50. aurei ex bonis mariti adjiciuntur, & pro duabus istis summis in annos singulos 100. aureorum redditus, 10. sc. in 100. computando ex fructibus feudorum mulieri adjiciuntur.

XXI. Hinc, nisi pactis aliter convenit, per dotalitium dos ipsa absorbetur; ita ut mulier, vel ejus heredes sortem repetere non possint; sed maneat illa in feudo, & in compensationem ejus tam magni redditus mulieri persolvuntur.

XXII. A dote distinguenda sunt reliqua mulieris bona extra causam dotis constituta, quibus si mulier ipsa utatur fruatur, proprium ejus peculium dicuntur: si marito tradantur utenda fruenda, parapherna appellantur. Quamvis jure Saxon. etiam horum bonorum usumfr. marito competere sat certum sit.

XXIII. Quo jure & alia bona mulieribus nobilibus competunt, ut, sponsalitia largitas, cibaria domestica, & utensilia, h. e. *Morgengabe / Mustheil und Gerada*; quæ a dote sunt diversa.

XXIV. Matrimonio soluto vel morte, vel divortio competit actio ex stipulatu pro dote repetenda; quæ civilis, bonæ fidei, & in personam est.

XXV. Non autem semper actio hæc est bonæ fidei. Ex parte uxoris & mariti quidem, ut & ex parte heredum mulieris defunctæ est bonæ fidei: At in extraneo dotante & dotem sibi restitui pacifcente est stricti juris. Ex parte soceri dotantis & repetentis dotem est bonæ fidei, si agit pro dote profectitia consequenda.

XXVI. Illud hic quærere placet; num parentes liberis in potestate non constitutis actionem quoad dotem stipulatione adquirant? quamvis non directam: tamen utilem. Non autem quoad res alias.

XXVII. Datur & extraneo hæc actio, si expressè sibi reddi stipulatus est: quin & defuncti heredibus.

XXVIII. Non solùm autem uxor dotem suam ita repetere potest, sed & pro ea tacitam hypothecam habet in bonis mariti; etiam pro augmento dotis.

XXIX. An & in donatione propter nuptias? quidni? adde & pro bonis paraphernalibus à marito administratis.

XXX. Extraneo tamen hoc privilegium denegatur. Quia nec stipulatio in ejus favorem intervenisse fingitur.

XXXI. Non autem inconcinne hic quæritur, an tacita hypotheca mulieribus; an verò ipsi actioni à lege sit concessa? dicemus mulieri, ejusq; liberis heredibus. An & hæredibus extraneis? Negamus.

XXXII. Præterea uxor non solùm tacitam hypothecam habet pro dote in bonis mariti: sed præfertur etiam creditoribus anteriora jura habentibus: etiam tacitam hypothecam priorem habentibus.

XXXIII. An & creditoribus expressam hypothecam habentibus præferatur quæstio est non vulgaris momenti. Et non præferri verius & æquius est: Idq; his in provincijs propter Electoralem constitutionem dubio caret.

XXXIV. Competit autem hoc privilegium mulieri in dote numerata: non verò in confessata. Nec enim contra alios creditores

tores sufficit confessio mariti se dotem accepisse, etiamsi expresse renunciaverit exceptioni non numeratæ dotis, etiamsi juratò affirmaverit.

XXXV. Imò quamvis maritus, ejusve heredes tempora præstituta exceptioni non numeratæ dotis præterlabi passi fuerint: tamen creditores exceptionem de dote non numerata salvam habent.

XXXVI. Heredibus mulieris non competit hoc *πρωτοπραξίας* privilegium, præterquam filijs & ceteris descendenti- bus ex uxore.

XXXVII. Quid juris, si duæ mulieres de dote sua agant? suas quæq; res exstantes vindicabit: Si non exstant, antiquior causa dotis præferetur. Idem judicium esto, si earundem liberi experiantur.

XXXVIII. Non verò datur ei pro bonis paraphernalibus, aliisq; rebus præter dotem; putà pro donatione propter nuptias.

XXXIX. Dandum tamen pro dotalitio æquè ac pro dote; cum illud huic subrogetur, non dubitamus.

XL. Cessat hæc mulierum *πρωτοπραξία* jure Saxon. si mercedes famulorum sint exsolvendæ: si quid in funus mariti defuncti & curationem ejus sit expensum: si collectæ, aut aliæ exacti- ones publicæ debeantur Magistratui: si pecunia, quam *Erbgeld* vocamus, debeatur.

XLI. Ceterum datur hæc actio ad dolum, culpam & diligen- tiam, quantam quis suis rebus adhibere solitus est: item ad peri- culum, si res æstimatæ in dotem datæ fuerint.

XLII. Etiam fructus, qui ante & post matrimonium perce- pti sunt, in dotem computantur, & soluto matrimonio hac acti- one repetuntur.

XLIII. Fructus verò ultimi anni jure communi inter mari- tum & uxorem, aut eorum heredes dividuntur pro rata tempo- ris, quò matrimonium duravit.

XLIV. Moribus autem Saxon. fructus industriales, quorum semina jacta ultimo anno fuere, omnes maritus lucratur, velut usufructuarius, & ejus heres.

XLV. Quo jure & ipsam dotem, quæ in pecunia consistit, lu- cratur soluto matrimonio: nec tenetur reddere, nisi liberis pro rata

rara legitimæ; aut nisi se dote indignum fecerit, putâ, quod uxorem deseruit, aut in morbo necessaria alimenta non suppeditavit.

XLVI. Quid si in adulterio deprehensam uxorem maritus occidat? etiam hoc casu dorem, lucrabitur.

XLVII. Atq; hæc regulariter ita in dote repetenda obtinent. Ceterùm si quid aliud fuerit pactum, illud servandum; modò legibus, aut bonis moribus non repugnet: aut indotatas mulieres adhuc superstites, aut doris conditionem deteriore efficiat.

XLVIII. Tales conventiones non indigent necessariò scripturâ: sed sufficit quinque testium præsentia, si in his de futura inter conjuges successione agatur.

XLIX. Quo casu nec insinuatione indigent, licèt summam quingentorum aureorum excedant. Cui consequens est, ut exemplo ultimæ voluntatis, aut donationis causa mortis altero, vel utraque conjugum volente hæc pactiones mutari possint.

L. Ubi verò non de successione mutua in ijs agitur, ita tamen ut in vim contractus sustineri queant, duorum, aut trium testium præsentia sufficit. Quod & jus Saxon. adprobavit.

F I N I S.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011



SB

VD17

Retrokonv.,





B.I.G.

Farbkarte #13



32